eſt valde nociuum.qꝛ ſic intoxicat ꝙ nullo re-
medio curari valeat. ieſus enim īfamia ꝑ detra
ctionem vix vel magna difficultate ſanatur.qꝛ
P ē venenū aſpidum inſanabile. Deut.xxxij. Et
eſt notādum ꝙ detractor ꝑ illā beſtiā figurat.
quā vidit Daniel q̄ ſimilis erat vrſo.ꝛ tres ordi-
nes dentium erant in ore ipſius. ꝛ dictum eſt ei.
Surge comede carnes plurimas Dan.vij. In
tribus ordinibus dentiū figurant tres modi artifi
cialiter detrahēdi.primus modus eſt bona que
hō facit diminuere vel male exponere tanꝙ ex
corrupta ſint facta intentiōe vel cōparatione ad
aliū oſtēdere.ꝙ nō ſint ita virtuoſe vel excel-
lēter facta vt decebat. Scōs modus ē defectus
veros ꝛ occultos ꝯtra legē charitatis publica-
re vel ꝓponere ſub intentiōe famā ledēdi. Tertius
modus eſt q̄ peſſimus eſt falſa crimina ꝯfingere
ꝛ innocentibus imponere. Iſti tres ſunt ordi-
nes dentium q̄ in q̄buſdā abundāt cōtra quos
ij. Pet.ij. inq̄t. Deponētes inq̄t oēm maliciā et
oēm dolum ꝛ ſimulationes ꝛ inuidias ꝛ oēs de
tractiones quaſi modo geniti infantes lac cō-
cupiſcite. Signāter docet deponere oēs detra
ctiones.i.tres modos p̄dictos .qꝛ omne ꝛ to-
tum ſuꝑ tria ponimus.q̄ ſignātur ꝑ tres ordi-
nes in ore vrſi. Et cōſequenter depoſitis illis
dentibus malicioſis eſſe debemus ſicut infan-
tes qui carentes dentibus mordere neſciūt .et
lac dulcis ꝛ ſuauis affabilitatis ſine dolo ꝛ ma-
licia deſiderare vt de vno quoq; noſtrum verifi-
cetur illud Cant.iiij. Fauus diſtillans labia tua
mel ꝛ lac ſub lingua tua.ꝛ ſic q̄tum ad ſecundū
ſermonem quia longa ſolent ſperni ꝛc̄.

¶ Dn̄ica quinta poſt octauas paſce. Sermo.ij.

## AMen amen di

co vobis ſi q̄d petieritis patrē meū
A in nomine meo dabit vobis. Joh.xvj. Pli.in
ſpe.na.fortis odor rute ꝯſueuit roſas aperire
cum ipſa fuerit iter roſas plātata.quapropter
hoc ſcientes hortulani ſagaces qui in maio ci-
to maturas roſas habere volētes ꝓ crinalibus
fiendis plantant rutas infra roſas.et cum ve-
lint vt roſe aperiant mouent rutam ex cuius mo
tione odor aſcendit ꝛ facit roſas apiri. Mora
liter ꝑ rutam intellige orationē ꝓpter tria.pri-
mo ratione ignitionis.qꝛ ruta ē nature feruen-
tiſſime ꝛ plus agreſtis ꝙ domeſtica.habet enim
virtutem calidā ꝛ ſiccā.vt inq̄t Phi.in ſpe.na.
Sic oratio debet eſſe feruida ꝑ deuotionem vt
mētē calefaciat ꝛ inflāmet ad dilectionē vt de-
ſiccet humorē.i.fluxum cogitationū malarum.
vt dicit Anſhel.li.ſimilitudinū.iij.c.xliiij. Se-
cūdo ratiōe nutritiōis.qꝛ ruta gaudet ſiccita-
te.ꝛ nutrit cinere vt erucis poſſit carere. Ami
citia q̄dē magna ē ſibi cum ficu. ſic oratio gau
det abſtinētie ſiccitate ꝛ nutrit cinere hūilita-
tis.ꝓpter p̄mum dic̄ Chryſo.ſuꝑ Mat.ꝙ an-
tiqui patres quotiēs orare voluerūt ieiunium
cū oratiōe iunxerunt. Quia Tob.xij. Bona ē
oratio cum ieiunio.ꝓpter ſcōm dr̄ Ecci.xxxv.
Oratio humiliātis ſe celos penetrabit et donec
appropinquet nō ꝯſolabit.ꝛ non diſcedet do-
nec aſpiciat altiſſimus. Ibi dic̄ glo.ꝙ quāto hu
milior ē oratio tāto maiorē effectū hēbit apud
deū.diligit etiā ſocietatē ꝛ amicitiā ficus.ꝑ ficū
itellige elemoſynā.qꝛ ſicut ficus ē fructus mi-
tis et dulcis.ſic elemoſyna debet dari cū miti-
tate ꝛ dulcedine pietatis.iō dicit moralis.omi
te tribue ꝓ laude xpi petēti. Si tibi res deſunt
da verba benigna rogāti. Q̄ aūt oratio dz eē
ſocia cū elemoſyna.dic̄ Chryſo. ſuꝑ Mat. in
firma ē orō q̄ elemoſynarum largitioi ē inimica.
Tertio rōne munitiōis.qꝛ ruta munit ꝛ defen-
dit ꝯtra aīalia venenoſa. Et iō dic̄ Pli. in ſpe.
na.ꝙ antiq̄ romani bibebant muſtū rutatum
ꝯtra venenū ꝛ venenoſa ꝛ alias paſſiones. ſic
oratio munit ꝛ defendit ꝯtra ſerpētes inferna-
les.qꝛ ſcḋm Aug. Oratio ē diabolo ſupplicium
iō dic̄ Hieron. in q̄dā ep̄la. Egredientes de ho-
ſpitio armet oratio: regrediētibus d̄ platea occur
ret oratio.ꝛ ideo ꝯgrue ꝑ rutam intelligit ora
tio. Sed ꝑ roſam itellige virginale cor chriſti
dn̄i nr̄i.qꝛ ſic̄ roſa ſua pulchritudine viſum pa
ſcit. Sic v̄ginale cor paſcit viſū mētis nr̄e. Iuxta
illud. Qui paſcis inter lilia. Illud q̄dē v̄gineū
cor xpi ieſu apperit odor fortis nr̄e oratiōis.ꝛ
i tātū ſibi placet noſtra deuota feruidaq; orō
vt q̄cquid petierimus patrem i noīe ipſius hoc
dabit nob.vt dicunt verba p̄aſſumpta. Amen
amen dico vob. In q̄bus p̄ncipaliter duo tan
guntur.videlꝫ exauditiōis ſecuritas ibi.amen
amen dico vobis Petentis habilitas ibi. Si q̄d
petieritis pa. Pro quo ē notandū.experiētia B
docuit in multis ꝙ apud liberales dn̄os ſecu-
rus eſt pauꝑ in ſuis petionibus vt exaudiat citius
Nam refert ſuetonius de Tito imperatore ꝙ
adeo benignus fuit et liberalis vt neminē a ſe
ſine ſpe aut munere dimitteret abire. Et cū ali
quando admoneretur ne tanta petentibus ꝓ-
mitteret. Non oportet inq̄t a ſermone p̄ncipis
quenꝙ triſtem abſcedere .ꝛ licet aliq̄n domini
ſint adeo liberales vt ſecure poſſit ad eos quiſ
q; accedere ſpe exauditiōis .videmus tamē ꝙ
quilibet volēs ab eis aliq̄d impetrare aliquos
de familia domini conſueuit ſecum ſumere qui
bus habitis abilis p̄cator accedat. Spūaliter
deus pater eſt dominus omniū liberaliſſimus

cuius q̄dem liberalitatis aliqua ſunt ſigna pri 1
mum ꝙ plus reddit homini ꝙ̄ abſtulit qđ ptz
in Job.c.j.cui deus abſtulit tā ꝑlem ꝙ̄ ſubſtā
tiam.videlȝ ſeptē filias ⁊ tres filios et ſeptem
milia ouium.⁊ tria milia cameloꝝ. quingenta
boum iuga.⁊ q̄ngentas aſinas. ⁊ cum ꝓbaſſet
patientiā eius addidit queqȝ ei duplicia p̄ter fi
lios Job vlt̄.q2 dr̄. Fuerūt ei.vij filij et tres fi
lie. Ex quo patet ꝙ proles non fuit duplicata
quia tot habuit quot ante. Scđm ſignum diui 2.
ne liberalitatis eſt ꝙ tribuit plus ꝓmiſſum im
plendo.ꝙ̄ exp̄ſſit ꝓmittendo. Sicut patet Nu
meri.xvij.vbi dn̄s ꝓmiſit moyſi cū eſſet diſſen-
ſio de ſacerdotio ꝙ v̄ga illius quaȝ elegiſſet ꝓ
officio ſacerdotis in craſtino poſt allationē in
templū germinat ⁊ plus tribuit.quia virga nō
ſolum germinauit ſed floruit. et folijs dilatat
amigdola ꝓtulit. Tertium ſignum eſt ꝙ plus 3
tribuit ꝙ̄ rogatur. ſicut patet. iij. Reg.iij. Et
ij. Paral.j.de Salomone qui ꝓmotus eſſet in
regem.⁊ hoſtias deo imolaſſet.⁊ nocte ſequē-
ti apparuit ſibi dominus dicens. Poſtula q̄d
vis vt dem tibi. Cui rn̄dit.dn̄e deᵒ ego ſū puer
paruulus ⁊ ignorans ingreſſum meum ⁊ exitū
meum.et tu elegiſti me regem ſuper populum
tuū qui inumerabilis eſt ſicut arena maris.da
ḡ domine mihi cor docile vt diſcernere poſſuȝ
inter bonū et malū.et ſeq̄tur ꝙ placuit iſta pe
titio.⁊ rn̄dit ei ꝑ ſeipſum. q2 poſtulaſti verbuȝ
hoc ⁊ nō petiſti dies multos. nec diuitias nec
animas inimicoꝝ tuoꝝ.ſȝ ſapiētiaȝ ad diſcer-
nendum iudiciū. Ecce feci tibi ſm̄ ſermōes tu-
os.et conceſſi tibi cor ſapiēs ⁊ intelligens. ita
ꝙ nullᵒ ante te fuerit ſimilis tui.nec poſt in fu-
turo ſit. Inſuper que non petiſti cōceſſi tibi di
uitias ⁊ ſubſtantiā et gloriā. Et ſi in preceptis
meis ambulaueris longos ſtatuam dies tuos
Ex hac hiſtoria ptȝ liberalitas dei ꝙ benigne
dat q̄n petimus iuſte.imo dat amplius ꝙ̄ peta
mus ꝓpter qđ ſecure poſſumᵒ accedere ad ip̄m
⁊ rogare in nomīe ieſu xp̄i.qui dicit hoc.amen
amen dico vobis. ꝙ quicquid petieritis iuſte
patrem in nomine meo dabit vobis. Sed lȝ de
us pater ſemꝑ petitioneȝ noſtrā audiat ex ſua
liberalitate cuȝ iuſte petimus.neceſſario tn̄ ali
qua habemus nobiſcum ſumere que diligit ip̄e
⁊ quibus habitis q̄libet abilis ⁊ idoneus p̄ca-
tor ad ip̄m accedet.p̄mū eſt peccati imunitas 1
Omne enim pct̄m mentē aggrauat. Sicut figu
ratū ē Zach.v.vbi vidit mulierē ſedentem in
amphora habentē in ore ſuo maſſam plūbi. Et
dictum eſt ꝓphete.hec eſt impietas in ſignū ꝙ
omnis impietas ſeu iniq̄tas grauis eſt. Iux̄ il-
lud pſ̄.xxxvij. Quoniaȝ iniq̄tates mee ſuper-
greſſe ſūt caput meū.⁊ ſic onᵒ ḡue ḡuate ſūt ſu

per me. Sȝ ecōtra dicit Dam̄.ꝙ oratio eſt ac-
ceſſus itellectᵒ in deū. Nā q̄ vult orare p̄mo de
bet defectᵒ ſuos ꝯſiderare deinde aſcēdere ad
eiᵒ liberalitatē q̄ hoc p̄t cōplere. Nā ſicut legit̄
iij. Reg.viij.ꝙ Salomō edificato tēplo dixit.
ſi q̄s cognouerit plagā ſui cordis. ⁊ extēderit
manus ſuas in domo hac.tu exaudies in celo
dn̄e. Ideo alit̄ ſcribit̄ oratio. Oratio ē piᵒ mē-
tis affectus in deum directus. Et iſte q̄dem af
fectus deſiderium eſt. Nam glo. ſuper illud.j.
Theſſal.vlt. Sine itermiſſione orate. dic̄ ip̄m
deſideriū bonū oratio ē. Et ſi ꝯtinuum eſt deſi
derium ꝯtinua eſt oratio.affectus q̄ eſt oratio
in deum dr̄ dirigi ad modum nuncij. quia ē ve
lut nunciᵒ ab homine in deum miſſus. Nō etiā
ꝓbat glo. ſuꝑ illud pſ̄.lxxxvij. Intret oratio
mea in ꝯſpectu tuo dicens. Uirtus magna pu
re orationis. Hic notat̄ q̄ quaſi ꝑſona q̄daȝ ad
deum intrat ⁊ mandata peragit.quo caro ꝑue
nire nequit. Modo ad ꝓpoſitum oratio ē aſcē
ſus mentis ī deum. Et per Aug.in li. đ ſpiritu
⁊ aīa. Oratio eſt mētis ꝯuerſio in deuȝ per pu
rum ⁊ humilem affectum. Sed pct̄m grauat et
dep̄mit.ptȝ ḡ ꝙ peccat ḡuati nō poſſunt aſcē-
dere in oratiōe.q2 ſimilātur auibus volare cu-
pientibᵒ mole corꝑis aggrauatis quaꝝ vna ē
ſtrucio.de q̄ dicit magiſter li.xij.ꝓprietatū. ꝙ
ad volatū alas erigit. Sȝ ꝓpter pōderoſitateȝ
corꝑis a terra nullatenus ſe ſuſtentat.q2 pau-
cis pēnis induitur ⁊ magno corꝑe p̄grauatur.
¶ Hic ſunt aliqui peccatis grauati ⁊ tn̄ ꝑ oratio- C
nē ſe in altum erigunt.ideo talibus dr̄ Iac.iiij
Petitis ⁊ non accipitis eo ꝙ male petatis. et
hoc p̄mo ex p̄te orationis. Scđo ex p̄te acce-
ptationis eius q̄ petitur. Nam vt dicit Greg.
iij.q.vij.c.in grauibus. Cum his qui diſplicet
ad intercedenduȝ mittitur irati animus ꝓcul-
dubio ad deteriora ꝓuocatur Et Prouer.xv.
dr̄. Uictime impioꝝ abomiabiles dn̄o.⁊ vota
iuſtoꝝ placabilia. Et Chryſo. Qui orat ⁊ pec
cat nō honorat deū.ſed deludit. Nam tales ſi-
milantur militibus qui genua xp̄o flectebant.
⁊ alapas ſibi dabāt. Joh.xix. Sed diceret.a. D
Nunq̄d orātes peccatores deus exaudit? ⁊ vi
detur ꝙ non.ex dicto ceci nati. Joh.ix. q̄ ait.
Scimus q2 pctōres nō exaudit deus. Sed cō
tra hoc arguit gorra. ſuꝑ Joh. dicens. Nōne
exaudiuit publicanū. Luc.xviij. Alexādrū pa-
ganum de.x.tribubus iudeoꝝ.q.d.ſic.de ale-
xandro vide ſ̄.p̄te.j.feria.vj. Judica. B.B.D
ad hoc rn̄detur ex glo.dupliciter. Primo deᵒ
non exaudit pctōres ad ſalutē. Alio mō deus
exaudit peccatores ꝓpter triplicem rationem
p̄mo ꝓpter eoꝝ faciliorē cōuerſionē. ſecun-
do ꝓpter proſperiorem ſucceſſum rerum tem-

poꝛalium ita vt eis eo ꝓſperius ſuccedat in tē-
poꝛalibus. ⁊ per hoc ꝑuabūtur eternis. Ter-
tio ꝓpter maioꝛem alleuiationē eterne damna
tionis quā habebunt in futuro, ex hoc elice ad
quid ꝓſit malis oꝛatio ſua. videlicȝ vt facilius
cōuertantur. vt bona tempalia augmētant᷑. vt
pene ī futuro alleuiētur. Sed ſanctus Tho. ij.
ij. q. lxxxiij. ar. xvj. dicit. ꝙ deus oꝛationē pec
catoꝛis ex bono nature deſiderio ꝓcedētē au
dit. Quia ī peccatoꝛe ſunt duo cōſiderāda. ſcȝ
natura quā diligit deꝰ. ⁊ culpa quā odit. Si ḡ
peccatoꝛ oꝛando aliq̄d petit vt peccatoꝛ. i. ſ̄m
deſideriū peccati hoc a deo nō exaudit᷑ ex mi-
ſericoꝛdia. Sed qn̄qȝ exaudit᷑ ad vindictā qū
ꝑmittit deꝰ peccatoꝛē adhuc ampliꝰ viuere in
peccatꝭ. Deꝰ eni negat q̄dā ꝓpitiꝰ q̄ concedit
ꝓpitius. vt dicit Augꝰ. Oꝛationē v̄o peccato-
ris ex bono nature ꝓcedentē deus exaudit nō
quaſi ex iuſticia quia peccatoꝛ hoc non meret᷑.
Sed ex pura miſericoꝛdia obſeruatꝭ tn̄ q̄ttuoꝛ
ꝯditionibꝰ. vt videlicet ꝓ ſe petat ad ſalutē ne
ceſſaria pie deuote et ꝑſeueranter. vnde Augꝰ
Deus nō hoꝛtaretur nos vt peteremꝰ niſi da-
re vellet. Et Chryſo. Nūq̄ꝫ oꝛāti bn̄ficia dene-
gat q̄ vt oꝛantes nō deficiant ſua pietate inſti-
gat. Ad dictū ceci nati dicit glo. ꝙ ipſe non-
dum inunctus erat nec interius illuminatus.
⁊ ideo falſum dixit lȝ ſe crederet verum dixiſſe
Uel ſic ꝙ ineffabiliter verū eſt ꝙ deus peccato
res nō exaudit inq̄ꝫtum ſunt peccatoꝛes. Iux̄
illud q̄d dicit Iſiō. Sicut nullū ꝓficit vulneri
medicamētum ſi adhuc ferrum in eo ſit. ita ni-
hil ꝓficit oꝛatio illiꝰ cuiꝰ adhuc pctm̄ in mente
vel odiū manet in pectoꝛe. Peccatoꝛ aūt oꝛās
deum ꝓ remiſſione pctōꝝ ſuoꝝ cum ꝯtritione
iam eoipſo nō eſt peccatoꝛ. Iux̄ illud. pſ̄. xxxj
Dixi cōfiteboꝛ aduerſum me iniq̄tatem meam
dn̄o. et tu remi. iniq̄. pec. me. et vt ſic peccato-
res ſepe exaudiūtur. Sed diceret quis ex quo
dicit ſuperiꝰ Chryſo. Qui oꝛat ⁊ peccat ⁊c̄. vi
det᷑ ꝙ peccatoꝛes oꝛādo peccēt cum deludere
deū graue ſit pctm̄. Reſpōde. verbū Chryſo.
intelligendū eſt de ꝑſiſtentibꝰ in pctō cum pro
poſito ꝑſiſtendi. ⁊ d̄ oꝛātibus ꝓpter honoꝛes
⁊ ꝓpter queſtum illi deludunt deū. ideo eſt do
cumentū ꝙ q̄ oꝛare voluerit debet ꝑus in coꝛ-
de de peccatis cōpungi. ſaltem ꝯtritione gene
rali. De hoc in collatiōe patꝝ dr̄. Si volumꝰ
oꝛatione ī celum aſcendere et ſuper celeſtia pe
netrare curemꝰ vt mentes noſtre ab omnibus
terrenis ⁊ carnalibus depurentuur. ita vt nr̄a
oꝛatio ad deum poſſit aſcendere nullo vitioꝝ
pondere ꝑgrauata. Secundū ꝙ facit hominē
idoneum p̄ecatoꝛē ē animi humilitas q̄ oꝛnat
oꝛationē. quāto eni ſe hō magꝭ hūiliat ⁊ neceſ-
ſitates ſuas declarat tanto facilius impetrat
quod imploꝛat. Sic qn̄ nos coꝛam deo fragili
tatem noſtrā ⁊ defectus noſtros humiliter fa-
temur facile expedimur. Exemplum habemus
Gen̄. xviij. de Abꝛaam q̄ ſupplicare dn̄o ꝓpo-
nens ꝑmiſit humilitatem ſe pulueri ſiſ̄ando di-
cens. Loquar ad dn̄m deum meū cum ſim pul
uis ⁊ cinis. In huius ḡ figurā iudei oꝛare vo-
lentes ſe pꝛius humiliauerunt et cineres ſuper
capita eoꝝ ſparſerūt. ſicut in multis locis ſa-
cre ſcripture reꝑitur. id̄ exauditi fuerunt. ideo
dicit beatꝰ Gregꝰ. iij. moꝛal̄. Ille deo verā oꝛa
tionē exhibet. q̄ ſeipm̄ q̄ſi puluis ſit videt qui
ſibi nihil v̄tutꝭ tribuit. q̄ bona q̄ agit eſſe de mi
ſericoꝛdia creatoꝛis cognoſcit. Cd̄ attendēs
Iudith dixit. ix. c. Tu dn̄e cui humiliū ⁊ man-
ſuetoꝝ ſemper placuit deꝑcatio. Et pſ̄. cj. Re
ſpexit ī oꝛationē hu. ⁊ nō ſpꝛe. p̄. eoꝝ. Un̄ tam
ꝓnus eſt deꝰ ad exaudiendū tales humiles ꝙ
eoꝝ p̄ces nō expectat. ſed etiā ad ſola eoꝝ de
ſideria inclinatur. Iux̄ illud pſ̄. ix. Deſideriū
paupeꝝ exaudiuit dn̄s. Et intelligitur paupe
rum. i. humiliū. Quia dic̄ Augꝰ. Paupes ſpū
ſunt homines humiles ⁊ timētes deum et non
habētes inflantē ſpm̄. Sȝ. d. a. ex quo dicit pſ̄
Deſideriū paupeꝝ. nūq̄d tenet᷑ hoies hūiles
vocaliter oꝛare. vel an ſufficit eis ſolū deſide-
rare? ad q̄d dixerunt q̄dam ꝙ ſufficit eis deſi-
derare. imo imꝑfectionis eſſet vocaliter oꝛare
ſumentes ꝓ ſe illud pſ̄. ix. Pꝛelibati deſideriū
paupeꝝ. Et talibus nō eſſet dicendū oꝛa ꝓ me
ſed deſidera ꝓ me. Sed hoc eſt erroneū eo ꝙ
xp̄s legitur vocaliter oꝛaſſe et apl̄i poſt repleti
onem ſpūs oꝛationibꝰ inſiſtebāt. Sed verū ē ꝓ
illo inſtanti quo mens rapit᷑ in ꝯtemplationē
⁊ guſtū diuine dulcedinis tūc lingua conquie-
ſcat ⁊ poſtea rediens ad ſe debet oꝛare ī voce
ſicut dauid q̄ ait. Uoce mea ad dn̄m clamaui ⁊
exaudiuit me. pſ̄. iij. Dicit ſanctꝰ Tho. ij. ij. q.
lxxxiij. Uox adiūgitur oꝛationi tripliciť. ꝑmo
ad excitandū interioꝛē deuotionē. qꝛ mens in
deū eleuatur oꝛātis. ſcd̄o ad reddendū ratiōē
debiti vt videlȝ hō deo ſeruiat ſ̄m illud totum
q̄d habeat. i. nō ſolū mēte ſed oꝛe. Iuxta illud
Oſee. xiiij. Omnem aufer a me iniq̄tatem ⁊ ac
cipe bonum ⁊ reddemus vitulos labioꝝ nr̄o-
rum. tertio ex quadā redundātia ab aīa in coꝛ-
pus et ex vehemēti affectione. vnde pſ̄. xv. Le
tatum eſt os meū ⁊ exultabit lingua mea. Ter
tium quod facit idoneū p̄ecatoꝛē eſt verbi dei
ſedulitas. Congruum ē vt qui vult a deo ī oꝛa
tione exaudiri. ꝙ ipſe libenter audiat deum. qꝛ
dicitur Pꝛouer. viij. Ego diligentes me diligo
Sic a ſimili ipſe audientes ſe audit. quia ipſe
dixit p̄edicatoꝛibꝰ. Luc̄. x. Qui vos audit me

Humilitas facit idoneū hoīem orantē

audit. Et ecōtra q̄ verba dei nō audit nec ora=
tio ei⁹ a deo exaudiť. Teſte ſapiente Prouer.
xviij. Qui declinat aurē ſuā ne audiat legē ora
tio ei⁹ erit execrabilis. habitis ḡ illis q̄bus hō
fit idone⁹ p̄cator. q̄ritur q̄d debeat petere vt a
deo audiať? ad hoc r̄ndetur p̄mo q̄ i oratione
petēda ē gl̄ia eterna. gratia. ſiue regnū ⁊ iuſti=
cia regni. Et hoc inuit dn̄s i hoc. Si q̄d petie=
ritis patrē. Qō videlȝ pōderās Aug⁹ i origi=
nali dicit. Illud enī dr̄ eſſe q̄d qō eſt aliq̄d. ta=
le autē eſt res ſp̄ualis. Tēporalia enī ⁊ corpa=
lia reſpectu ſp̄ualiūȝ quaſi nō ſunt. Sic ḡ vult
dn̄s dicere q̄ ſi ſp̄ualia petierim⁹ ꝯſequimur.
ideo dicit Mat. vj. Primū q̄rite regnum dei ⁊
iuſticiā ei⁹. et hec oīa adijciētur vobis. Nō mo
D net dn̄s vt tp̄alia q̄rātur ꝑpter tria. Primo q̄ꝛ
nō ſunt digna peti. bona enī infima ſunt et in=
curuanť q̄ amāt ⁊ queruut ea q̄ incuruatio de=
monib⁹ placet. Juxta illud Eſa. li. Incuruare
vt trēſeamus. Sup quo dicit Bern̄. Noli acq̄=
eſcere dicēti incuruare vt trāſeamus. non enī
ē trāſiturus. ſed grauiter te oppreſſurus. Sed
certe q̄ ſibi acq̄eſcunt in hoc poſſunt dicere ſe=
orſum. illud pš. xxxvij. Miſer fact⁹ ſum ⁊ cur
uatus ſum vſqȝ in finē. ideo dicunt verba apl̄i
ad Col. iij. Que ſurſum ſunt q̄rite. non que ſup
terrā. Scd̄o q̄ꝛ tēporalia debenť his q̄ habent
iuſticiā regni. Juſticia enī regni filios facit. fi=
lijs enī debetur ꝓuiſio. vn̄ ſup illud. et hec oīa
adijciētur vob̄. dicit glo. q̄ oīa ſunt filiorum.
Luc̄. xv. Omnia mea tua ſunt. et ideo hec oīa
adijciētur etiā non petentibus ⁊ q̄rentib⁹. q̄b⁹
ſi ſubtrahanť ad ꝓbationē ꝓſunt. ſi addantur
ad gratiaꝝ actionē. Tertio neſcit hō vtrū ex=
pediat tēporalia habere cū frequēter poſſeſſo=
ribus ſuis noceāt. Quia dicit ſapiēs Prouer.
j. Uſquequo ſtulti q̄ ſibi noxia ſunt rapiūt? Et
ſup illud. ij. Cor. xij. Uirtus i infirmitate ꝑfi=
citur dicit glo. Aug. Cum ea q̄ dn̄s laudat et
ꝓmittit petitis. ab illo ſecure petite. illa enī ꝓ=
pitio deo ꝯcedunť. Cum aūt petitis tp̄alia cū
modo petite ⁊ cū timore illud cōmittite vt ⁊ ſi
ꝓſint det. ſi ſcit obeſſe non det. Quid enī ꝓſit
vel obſit medic⁹ nouit nō egrotus. ideo etiā di
cit ſanct⁹ Tho. ij. ij. q. lxxxiij. Si loquamur de
I bonis ſp̄ualibus vt de virtutib⁹ gr̄a ⁊ gl̄ia qui
bus nec pōt homo male vti nec de ſe malū euē
tum poſſunt habere. talia abſolute ſancti pe=
tunt. ſicut illud. oſtēde nob̄ faciem tuaȝ ⁊ ſalui
erim⁹. Et iteꝝ. Deduc me i ſemita mandatoꝝ
tuoꝝ. Sȝ ſi loq̄mur de tēporalib⁹ dicēduȝ ſm̄
Aug. ad ꝓbam de orādo deuȝ. hoc licet orare
qō licet deſiderare. tēporalia aūt licet deſide=
rare nō q̄dem p̄ncipaliter vt in eis finem con=
ſtituam⁹. Sȝ ſicut q̄dā āminicula q̄b⁹ adiuua=
mur ad tendēdū in beatitudinē. inq̄tū ꝓ ea vi=
ta ſuſtentať. ⁊ inq̄tum nob̄ organice deſeruiūt
ad actus v̄tutum. vt ph̄s dicit. j. ethic̄. et ideo
ꝓ tēporalibus lȝ orare. Scd̄o r̄ndetur ad hoc
per glo. ſup illud Matth. xxvj. Orauit tertio
eundē ſermonē. dicit tria a nob̄ petenda. trib⁹
enī vicib⁹ orauit xp̄s vt ⁊ nos a p̄teritis pecca
tis veniā. ⁊ a p̄ſentibus malis tutelam ⁊ a futu
ris periculis cautelam orem⁹. De p̄mo Eccl̄i.
xxxviij. Fili inquit in infirmitate. ſcȝ ſp̄uali ne
deſpicias teipſum. glo. negligendo q̄rere reme
dium ſicut negligunt aliqui. Sed ora deuȝ de=
uote. et ipſe curabit te. ſcilȝ vngento gr̄e. De
ſcd̄o Mat. xxvj. Uigilate ⁊ orate neītretis in
tēptationē. De tertio Luc̄. xxj. Uigilate oī tp̄e
orātes. vt digne habeamini fugere. Tertio ad
hoc r̄ndetur q̄ i oratiōe petere poſſum⁹ vt de⁹
cuſtodiat nos ab occaſione peccandi. Exēplo
ſalomonis dicēt̄ Prouer. xxx. Mēdicitatē et
diuitias ne dederis mihi. tribue tm̄ victui meo
neceſſaria. ne forte ſaciatus ad negādū illiciar
⁊ dicam quis eſt dominus? Et egeſtate cōpul=
ſus furiam ⁊ periurem nomen dei mei.

¶ De eadem dominica. Sermo. ij.

# Uſque modo

nō petiſtis q̄cq̄ petite et accipiet̄
vt gaudium veſtꝝ plenū ſit. Joh.
xvj. Naturale ē q̄ animalia larga largiter im
partiunť ab eis rapta. ſicut aq̄la ⁊ leo q̄ p̄daȝ
raptam alijs animalibus diuidunt. Sic ḡ etiā
largi hoīes larga dant munera. Sicut patȝ de
Alexandro magno. quē cū q̄dā mendicus pe=
tiſſet ꝓ elemoſyna dedit ei vnā ciuitatē. Et re=
dargutus cur hoc faceret? reſpōdit. nō atten=
do q̄d ei recipe cōpetit. ſed q̄d dare conuenit.
iſte q̄dē liberalis rex nō ſolū petētib⁹ dedit. ſȝ
etiā ad petēdum monuit. ſicut de hoc habetur
in vitaſpħoꝝ. Cum quodaȝ tp̄e diogenes oc=
curreret Alexādro. ⁊ eū tanq̄ ſpernēs ptrāſi=
ret. dixit ei Alexāder. O diogenes. cur me ita
deſpicis q̄ſi mei nō indigeas? r̄ndit ille. ad q̄d
inquit indigeo ſeruo mei ſui? Alexāder r̄ndit.
quō ſum ſeruus ſerui tui? r̄ndit. ego refrenans
cupiditates ſubijcio eas vt mihi ſeruiant. tibi
aūt cupiditates dn̄anť ⁊ ſeruis eis. ḡ ſeru⁹ es
his q̄ mihi ſeruiūnt. Cui Alexāder. pete a me
quid vis ⁊ dabo tibi. r̄ndit ille. q̄liter inq̄t a te
peterē cum ſim ditior te. nā modicū qō habeo
magis ſufficit mihi q̄ tibi multum qō habes.
Sp̄ualiter Alexander interp̄tať alleuās tene=
bras. ⁊ ſignificat xp̄m q̄ per ſuam benedictam
paſſionē alleuauit vł abſtulit tenebras pctōꝝ